

Deppam advolant, inde vela Novam in Franciam facturi. Ecce autem repentè inexpectatus obex. Ea navis erat Potrincurtii, nobilis Galli: duobus tamen mercatoribus Calvinianis obnoxia, utpote qui sumptus non leves ad illam armamentis instruendam fecerant. Isti simul atque imponendos in hanc homines Societatis audierunt, negant enimvero se passuros ut è portu solvat. Opponitur imperium Reginæ, mandata ingeminantur. Respondent per se non stare quin sacerdotes alii quilibet admittantur; at sibi cum nostris hominibus nihil esse rei velle. Ubi vidit Cotonus improborum pertinaciam frangi non posse, alia rem aggressus est via. Erat matrona non pietate minus quàm genere nobilis, Antonia Guerchevillæa. Hæc negotium Missionis haud secus procurabat, ac suum: utque non vulgarem apud multos gratiam, virtutis opinione collegerat, magnam subito pecuniæ vim corrogavit, qua mercatoribus hæreticis summa rependeretur, ab iis in adornandam navim contributa. Sic illis rejectis & invitis, Patres admitti fuerunt. At, quia interim extractum tempus fuerat, non ante VII. Kalend. Februarias, cum hyemaret asperum æquor, vela sunt facta. Hinc mensium quatuor cursus fuit, qui vulgo duorum est; ac morbis intus, tempestatibus foris, infestus. Ingressi demum ostia Laurentiani fluvii XI. Kal. Junias, ipso sacro Pentecostes die, vestigia Christianæ religionis aliqua invenere, leviter ab iis quos è Gallia profectos in hanc plagam diximus, impressa. Cum enim illis ignotus [322] gentis fermo,